



## **Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque**

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &  
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis  
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,  
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1616**

Disputatio XXXVIII. [i.e. XXXIX.] De institutione Extremæ vnctionis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)



# TERTIA HVIVS OPERIS PARS. DE EXTREMÆ VNCTIONIS Sacramento.



**Q**UANTUM SACRAMENTUM hoc distinctum sit à Sacramento Penitentiæ, ut potè ad diuersum finem institutum, & ex diuersa forma, ac materia constans: habet tamen cum illo quandam coniunctionem, & affinitatem, eo quod penitentiæ ad tollenda peccata, vnctio vero ad reliquias peccatorum, quæ illis sublatis permanere solent, auferendas ordinatur: quam ob rem consummationem penitentiæ, vel totius Christianæ vitæ, quæ perpetua penitentiæ esse debet, dictum est à Patribus, vt Concilium Tridentinum notauit c. 1. de hoc sacramento. Et ideo eiusdem Concilij vestigia sequentes, absoluto Penitentiæ sacramento, priusquam de aliis rebus illi sacramento annexis dicamus, visum est de hoc sacramento disputare: præsertim quia omnia, quæ in hoc libro tractanda supersunt, vt sunt Purgatorium, Suffragia, & Indulgentiæ, non minus post hoc, quam post Penitentiæ sacramentum succedunt, suumque locum, ac fructum habent. Optime ergo sacramentum hoc in hunc locum cadit.

## DISPUTATIO XXXIX.

### De institutione huius sacramenti.

**I**cet sacramentum hoc breuius exprimi possit, quam præcedentia, eundem nihilominus ordinem in eo explicando seruabimus. Vt ergo à questione, an sit, initium sumamus in disputatione prædicti illius institutionem, in sequentibus vero essentiam, effectus, & casus eius, ac tandem ceremonias, & præcepta, si quæ sunt, quæ ad illud pertinere videantur, explicabimus.

### SECTIO I.

*Vivum datur in Ecclesia verum sacramentum quod  
Extrema vnctio appelletur.*

**N**omine Extremæ vnctionis Ecclesia Catholica intelligit quoddam speciale sacramentum sic dictum: quia & per quoddam vnctionem confertur, & veluti extremum est omnium sacramentorum, & in extremo vitæ periculo confertur: inquirimus ergo, an verum sit esse in Ecclesia tale sacramentum. Multi enim hæretici illud esse sacramentum negant. Fr. Suarez, tom. 4.

**A**runt, vt VValdenses apud Aeneam Syluium lib. de Origine Bohæmorum c. 35. & Albigenes apud Sander. li. 7. de Visib. Monar. hæres. 151. Item Albanenses apud Anton. 4. p. Theolog. tit. 11. c. 7. §. 5. vlt. & Rutheni apud Præteolum verb. *Rutheni*. Præterea in eodè fuit errore VVideph. vt refert VValdens. to. 2. de Sacramentis c. 163. Lutherus item, Calvinus, & alij sectarij, vt Præteolus, & recentiores controuersiarum scriptores late referunt. Fundamentum eorum est: quia in Scriptura nullum est huius sacramenti indicium, nec præceptum, nec promissio, quod statim examinabimus tractando locum Iacobi.

Dicendum vero est, Extremam vnctionem esse verum sacramentum, vnumque ex septem legis nouæ. Assertio est de fide, ad quam confirmandam sufficeret Ecclesiastica traditio, & perpetua confessio, etiam si in Scriptura non contineretur. Solet nihilominus ex duobus locis Scripturæ colligi.

### Locus Marci expenditur.

**P**rior est Marci 6. vbi dicitur Christus misisse Apostolos ad prædicandum, & de eis subditur, *Et vngebant oleo multos egrotos, & sanabant.* Hoc testimonio vtuntur ad hoc dogma comprobandum VVald. supra & Castro cõtra Hæreses, verb. *Extrema vnctio*, & Petrus Soto lect. 1. de hoc sacramento, putant enim illam vnctionem fuisse verum sacramentum. Et videtur hæc sententia fidei consentanea, & acõmò data contra hæreticos huius temporis, propter hæc argumenta. Primum, quia si vnctio in hoc loco sacramentum non est, nec aliter est: nulla est enim ratio cur hic negetur esse sacramentum, alibi vero affirmetur. Et confirmare hoc possumus: quia veteres expositores hac ratione moti, de eadem vnctione locum hunc, & alium Iacobi statim tractandum interpretantur, vt patet in Beda, Theophil. & aliis. Secundum argumentum est: quia sacramentum nihil aliud est, quam ceremonia à Christo instituta tanquam ordinarium remedium salutis anime, que tota definitio cõuenit illi Apostolicæ vnctioni. Tertium, quia si solum ad curanda corpora illa vnctione vtentur Apostoli, sine causa oleum exhiberēt, cuius vsus occultare potius, ac diminuire miraculū, quam augere, vel manifestare posset, quod fuisset contra finem illorum miraculorum. Itaque melius solo verbo ostenderent sanitatem illā in Christi virtute, & supernaturaliter dari, quam oleo adhibito: ergo non tantum ad morbos curandos, sed vt verum sacramentum illud ministrabant. Quartum quia nec Apostoli in aliis efficiendis miraculis, nec alij fideles, qui gratiam habuerunt curationis, oleo vtēbantur ad corporatum curanda: ergo signum

*Aeneas Syluius Sander Anton. Præteol. VValden.*

*Assertio prima*

*Marci 6.*

*Castro. Petrus Soto.*

*Prior. expo. 3. sitio suadetur.*

est Apostolos non ob hunc solum finem, sed propter animæ curationem vnctione illa, tanquam vero sacramento vfos fuisse.

Posterior  
expositio  
defenditur.

Nihilominus verius censeo vnctionem illam, qua ad curanda corpora ægrotantium Apostoli vtebantur Marc. 6. non fuisse verum sacramentum Extremæ vnctionis, licet fuerit veluti quoddam prziuum signum, seu adumbratio eius. Quam sententiam videntur supponere Hugo, Magist. Bonauentura, & Alens. superius citati: nã si credidissent, Apostolos viuente Christo ministrasse hoc sacramentum, nunquam negassent illud fuisse ab ipso

D. Thom.

Christo immediate institutum. D. Thomas autem in 4. d. 23. q. 1. art. 1. q. 3. ad 1. prius ratione reddit eum Evangelicæ huius sacramenti mentionem non fecerint, supponens in hoc loco non esse testimonium de hoc sacramento, postea vero subiungit, tamen etiam de olei vnctione mentio fiti Marc. 6. insinuant, licet ibi non sit sermo de sacramento, tamẽ mentionem illius vnctionis non fieri sine mysterio, nec sine ordine ad hoc sacramentum adumbrandum. Exprefsius tenet eam opinionem Soto ibi quæstione prima, articulo primo, Iansenius in Concord. capite 55. in fine, Bellarm. libro de hoc sacramento capite 2.

Soto.  
Iansen.  
Bellarm.

Coniecturæ sunt, Prima: quia in textu illo Evangelico nullum est indicium sacramentalis vnctionis, sed tantum medicinalis seu curatiuæ: solum enim dicit Marcus, Vngebant ægros, & sanabant, Marth. autem ca. 10. refert dixisse Christum Apostolis, Infirmos curate: Marcus vero insinuat etiam modum docuisse, seu designasse, scilicet, oleo vngendo: quia non est verisimile eos vsuros fuisse oleo, nisi Christum id significasset. Quauis enim non cõster, Christum præcepisse vt oleo vterentur, & nõ realia (potuit enim generatim dicere, vt curarent infirmos, applicando quicquid ad manum frequentius occurreret, vel vtendo figgno aliquo profua voluntate) nihilominus verisimilius est, in particulari etiam præscripsisse vnctionem olei, non tamen ad curandas animas per ipsam vnctionem per se ac immediate, nulla enim de hoc mentio ibi fit, sed ad curationem illam exercendam, de qua dictum est, Infirmos curate, Dico autem, per ipsam vnctionem &c. quia illa etiam corporum sanatio ordinabatur ad stabilendam, & persuadendam fidem, & consequenter ad animæ salutem: id autem non satis est ad ratione sacramenti: præsertim noue legis, nisi ipsum met extertum signum ad spirituales effectum immediate ordinetur: quod de illa vnctione cũ aliquo fundamento in Euangelio, dici non potest.

Secundo.

Secunda & vehemens coniectura est, quia tunc Apostoli non erant ordinati sacerdotes, vt possent hoc sacramentum ministrare. Antecedens sumitur ex Concilio Tridentino sessio. 22. c. 1. vbi volens explicare institutionem sacrificij Missæ ait, Christum in cœna nouissima, qua nocte tradebatur, corpus suum, & sanguinem sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulisse: & subdit statim, Ac sub earundem rerum symbolis Apostolis, quos tunc noui testamenti sacerdotes constituebat, vt sumeret, tradidit, &c. Si ergo tunc constituebat, certum est non prius fuisse sacerdotes. Item si tunc dedit eis potestatem offerendi sacrificium, per illa verba, Hoc facite, &c. antea ergo non habebant, non erant ergo sacerdotes. Quod si quis dicat, Concilium loqui de sacerdotio quoad potestatem conficiendi corpus Domini, & quoad hanc esse certum fuisse ordinatos in cœna, tamen quoad alias potestates potuisse prius ordinari. Contra hoc est: quia prima potestas, quæ datur sacerdoti, est ad conficiendum verum Christi corpus: ergo si quoad hanc non erant ordinati, simpliciter & omnino ordinati non erant. Præsertim, quia præter hanc potestatem solum datur alia in corpus mysticum ad remittenda peccata, & hæc data fuit Ioan. 20. vt idem

Euang. re-  
fuitur.

A Concilium definit sess. 14. c. 1. Fingere autem aliam potestatem, seu quasi partem ordinationis sacerdotis, & dicere quoad illam partem fuisse potius ordinatos sacerdotes, & vanum est, & præter Ecclesiæ sensum. Responderi potest, Christo legislatori non esse legem imponendam, potuit enim ipse concedere, vt etiam à non sacerdotibus hoc sacramentum ministraretur: sicut de baptismo legitur. Sed non est simile: quia in baptismo sacerdos non est necessarius minister, sicut est in hoc sacramento: & licet potuerit Christus dispensare, tamen sine necessitate, & sine testimonio id asserere, minus probabitur videretur.

Tertia coniectura est, quia Apostoli non solum vngebant baptizatos, sed quoslibet, cum tamen hoc sacramentum solis baptizatis valde dari possit. Quarta est similis huic: quia non vngebant tantum infirmos decubentes, & in periculo vitæ constitutos, sed quoslibet. Ad hæc vero eodem modo responderi potest, primo Christum etiam in hoc dispensasse: quod eodem modo refellitur: quia quæ facilitate asseritur sine fundamento, eadem contemnitur. Secundo negari potest, quod assumitur: nam res est incerta. Et fateor quidem non esse certam; dico tamen esse valde verisimile: quia Matheus absolute & indefinite refert Christum dixisse, Curate infirmos: non baptizatos solum, sed fortasse potius non baptizatos, propter quorum conuersionem gratia illa concedebatur: iam vero declaratum, verisimile esse quando Christus hoc Apostolis dixisset, etiam designasse modum vnctionis olei, ergo eam tunc non limitauit ad baptizatos, sed generatim concessit ad omnes infirmos, quos curare præcipiebat. Accedit, quod tunc pauci erant baptizati, Marcus vero ait, multos ægros vnctos, & sanatos fuisse. Denique est maxime credibile Apostolos ad illam vnctionem non expectasse internam animæ dispositionem: præsertim peccatorum dolorem, sed ad lammum fidem, in cuius confirmationem illa opera faciebant: at si illa esset sacramentum, cũ maiori delectu dispensandum fuisset. Propter hæc ergo, & propter alia, quæ statim in secunda assertionem explicabo, sententiam hanc verisimiliorem censeo: prius vero quam aliorum fundamentis respondeam alia sunt à nobis tractanda.

Locus Iacobi expenditur.

Alter locus Scripturæ, in quo hæc veritas catholice potissimum fundatur, est Iac. 5. vbi sic dicitur, Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus, & c. si in peccatis est dimittentur ei. Quod testimonium primo elidunt hæretici, negando hanc Iacobi Epistolam esse canonicam: sed nos id supponimus de fide certum ex Ecclesiæ traditione & consensu, & definitione Concilij Tridentini sess. 4. de qua realio loco ex professo agendum est. Secundo respondent, ad varios, & falsos sensus verba detorquendo, vt late refert, & impugnat Bellarm. supra capite 3. Nobis autem ad veritatem confirmandam sufficit in primis verborum proprietates, denique antiqua Patrum expositio. Nam in illis verbis continentur omnia, quæ sunt de ratione sacramenti nouæ legis: primo ritus extertus sensibilis, materia, & forma, constants, scilicet, vnctione olei, & verbo, seu oratione sacerdotis. Secundo designatur minister, scilicet presbyter. Tertio subiectum: scilicet, fidelis infirmus. Quarto effectus cum promissione gratiæ ad remissionem peccatorum, & alleuationem ægroti ordinatam. Quæ omnia in discursu materix explicabuntur cum singulis verbis huius testimonij. Quod vero ita

Patres

Patres intellexerint, ex sequente probatione constabit.

Probatnr assertio ex Conciliis, & Patribus.

**S**ecundo ergo probatur assertio ex traditione, & definitione Ecclesie. Et in primis est celebre testimonium illud Innocentij primi Epistol. ad Decent. cap. 8. vbi de hac vñctione exponit locum Iacobi, cuius verba in sequentibus questionibus, prout ad illas pertinuerint, expendimus. Ad hunc vero locum maxime spectat, quod vñctionem hanc vocat genus quoddam sacramenti: & ideo ait penitentibus non esse concedendum, Nam quibus, inquit, cetera sacramenta negantur, quomodo vñm genus putatur posse concedi? Vbi conitit, genus pro specie accepisse. Loquitur autem de his, qui in publica erant penitentia quibus ante reconciliationem nulla dabatur sacramenta. Eandem veritatem docuit Innocentius III. in capite vñico de Sacra Vñctione, vbi vñctionem visibilem, de qua Iacobus locutus est, dicit esse signum inuisibilis vñctionis interioris, atque a deo sacramentum. Pontifices imitata sunt Concilia: nam Vormatiense capi. 72. verba Innocentij I. transcripsit. Cabillonens. sub Carolo cap. 48. eodem modo exposuit locum Iacobi, & subdit, Non itaque commendanda est huiusmodi medicina, que anime, corporisque medetur languoribus. In Concilio vero Aquiligran. 2. sub Ludouico capite octauo, præcipitur Episcopis, vt in die Coenæ oleum sanctum consulant: quia in eo saluatio infirmorum esse creditur. Concilium Moguntin. sub Gregorio. IIII. Præsidente Rabano capit. 26. agens de infirmis, Sacra, inquit, cum vñctione Dei animam secundum statuta sanctorum Patrum, communiōe viatici reficiantur, De infirmis loquitur. Similia refert Burchard. libro. 4. De creti capit. 75. ex in Concilio Meldon. quauis in his decretis, quæ in tertio tomo Conciliorum ex illa synodo referuntur, non habeantur. Expressius traditur hæc veritas in Concilio Senon. e. de Extrema vñctione, & in alio Concilio Mogunt. cap. 34. Florentin. in Decreto Eugenij, Tridentin. sessio. 14. in doctrina & canonicibus de hoc sacramento, vbi in capite secundo locum Iacobi eleganter expendit, dicitq; eum sensum ex Apostolica traditione per manus accepta, Ecclesiam didicisse. Atingens veto ibidem locum Marci, solum ait, apud Marcum fuisse sacramentum hoc insinuatum, vt intelligamus, etiam ad mentem Concilij non esse parum vim horum testimoniorum immeritoq; citatos auctores illa æquiparare. Quod ex ipsis etiam locis perspicere licet: nam apud Marcum tantum curationis corporalis ægritudinis mentio fit: Iacobus vero expresse addidit spirituales fructum, eiusq; promissionem: quæ propria sunt sacramenti, si ex vi ipsius operis effectus fiat, vt Iacobus satis indicat.

Tertio confirmatur ex Patribus tam interpretatio Iacobi, quam veritas ipsa. Primo enim Dionys. capite septimo de Ecclesiastic. Hierarch. licet prius in parte secunda sermonem habeat de quadam vñctione, quæ solebant corpora fidelium defunctorum ad sepulturam præparari, quæ sine dubio sacramentum non erat, sed pia aliqua cæremonia: statim vero in parte tertia in fine videtur de hoc sacramento loqui dicens. Idcirco sanctorum sacra functio diuinas participations largitur vtrique, anima quidem in peccatorum, qui generantur, scientia, corpori vero per sacratissimum unguentum, & per diuine communionis augustissima signa, totum sanctificans hominem, integramque ipsius salutem operans, & resurrectionem denuncians. In quibus verbis loquitur de speciali vñctione infirmorum adhuc viuentium: nam plane significat dari homini ad sanctificationem totius, & ad animæ profectum, licet in corpore fiat. Vnde illi satis

A clare tribuit sacramentalem efficaciam, illamq; cū communione coniungens, declarat, illam esse vñctionem viuorum, & esse verum sacramentum. Dionysium imitans est Augustinus libro de Reſtitutione Catholicæ conuerſationis, aliquatulum à principio dicens, Quæ res aliqua infirmitas occurreris alicui, & c. & infra, Eucharistiam cum fide & deuotione accipias, vñctumque benedictum fideliter ab Ecclesia petas, vñctum corpus suum ungetur, & secundum Apostolum, oratio fides saluabis infirmum, & alleuabit eum Dominus, nec solum corporis, sed etiam anime sanitate accipies. Et libro secundo, de Visitatione infirm, capite quarto, idem sacramentum, typicalem vñctionem, vocat, & de illo Iacobi locum interpretatur. Scio hæc duo opera non reputari Augustini, sed satis nobis est quod sint alicuius auctoris atque, & grauis: nam eo saltem nomine recepta sunt. Accedit, quod priora verba sumpta videntur ex sermone 215. de tempore, quod dubium non est esse Augustini. Et similia refert ex Cyrillo in libro de Adoratione in Spirit. Anastasius Nissenus libro quæstion. in sacram Scripturam quæstione vigesima tertia. Solet etiam referri idem Cyrillus libro secundo de Leuit. sed ibi potius de sacramento confessionis loqui videtur. Præterea Chryostomus libro tertio de Sacerdot. ex dictis verbis Iacobi colligit, habere sacerdotes potestatem remittendi peccata infirmis decumbentibus: neque id dicere videtur propter potestatem remittendi peccata per sacramentum confessionis vt interpretari videtur Valdensis tomo secundo capite centesimo quadragesimo septimo. Non enim assert Chryostomus verba illa, Iacobi, Confitemini alterutrum peccata vestra, sed illa, Infirmatur quis in vobis. vsque ad illa, Et si in peccatis est, dimittentur ei, nimirum per ipsam vñctionem sacram, & quia hæc à solis presbyteris dari potest: ideo sacerdotes, quatenus habent potestatem ad hoc sacramentum ministrandum, dicuntur speciali modo habere potestatem ad remittenda peccata. Multa etiam in huius veritatis confirmationem sumi possunt ex Cyrillo Hierosolymitan. Catechef. 5. mystagog. & Beda libro secundo in Marcum capite 24. & Iacob. 3. Bernard. in vita Malachie Episcopi circa finem, vbi refert, illum in fine vitæ hoc sacramentum postulasse. Quam curam omnibus viris sanctis fuisse, constat ex Suario, præsertim tom. 2. item, ex Aluino lib. de Offic. Eccles. cap. de Coenâ Domini, & Amalar. libro 1. de Diuini offic. & aliis, constat, vsum huius sacramenti fuisse in Ecclesia Romana perpetuum. Eundemque fuisse in Ecclesia Græca non obscure colligitur ex Hieremia Patriarcha Hierosol. in Respons. ad confessionem Augustanam, vbi hoc sacramentum inter reliqua confitetur. Hinc ergo constat vanam esse hæreticorum calumniam, qui nobis obiciunt, apud veteres nullam esse huius sacramenti mentionem, falsum enim id est. Quod autem non sit adeo frequens, sicut de Pœnitentia, Eucharistia, vel similibus, mirandum non est, tam quia res ipsa non est ita necessaria, & frequens, ideoq; non tam frequenter incidit de illa moralis sermo: tum etiam quia non fuit res controuersa, vt de illa daretur disputandi occasio.

Vltimo possumus argumentari ratione, quæ prima hic est voluntas Christi, & institutio. Possumus vero multa coniectare, quæ illum mouerint ad hoc beneficium nobis præstandum, quæ ex conditione effectus huius sacramenti constabunt. Nunc illud sufficiat, mortis articulum multis de causis esse hominibus formidabilem, propter conscientiam malæ vitæ, propter timorem diuini iudicij, & incertitudinem futuri status, propter tentationes demonis, qui eo tempore vehementius vrget; opportunissime ergo Christus Dominus nobis prouidit, instituendo hoc diuinum sacramentum, quo recreantur.



rentur, & in Maiorem spem erigerentur fideles in A  
eo discrimine constituti: & si opus esset, etiam ab æ-  
gritudine corporali liberarentur.

## SECTIO II.

*An hoc sacramentum fuerit immediate à Chri-  
sto institutum.*

**1** Inter Catholicos nonnulli negarunt Christum  
Dominum instituisse hoc sacramentum, ex quo  
plane conseq̄uebatur non esse verum sacramentū:  
ipsi vero conseq̄uens non admittunt, quia putant  
posse esse sacramentum ab Apostolis institutum. Ita  
vero sentit Hugo de S. Viç. libr. 2. de Sacram. pag.  
15. ca. 2. quem sequitur est Magister in 4. d. 23. & Bo-  
nauent. ibi ar. 1. q. 2. Alenf. 4. pag. quæstione 8. mem-  
bro 2. art. 1. Altifod. libr. 4. Sum. tractat. 7. cap. 1. Qui  
solum in eo fundatur, quod sacramentum hoc non  
ex Euangelio, sed Epistola Iacobi colligitur.

**2** Dicendum vero est, sacramentum hoc fuisse à  
Christo Domino immediate institutum. Hæc fuit  
semper communior Scolasticorum sententia in 4.  
d. 23. D. Thom. Palud. Gabr. & aliorum. Et nunc est  
de fide definita in Tridentino in particulari, sess. 14.  
can. 1. de hoc sacramento, & in genere sess. 7. can. 1.  
eamq̄ in genere late confirmari superiori tomo,  
disput. 12. sect. 1. Ex quo principio, & præcedenti af-  
sertione, euidenti consecratione hæc concluditur.  
Nam omnia sacramenta nouæ legis sunt immédia-  
te à Christo instituta: sed vnum ex his sacramentis  
est extrema vñctio: ergo. Confirmatur, quia, si ab al-  
io, quam à Christo Domino fuisse institutum, ma-  
xime ab Apostolo Iacobo. Sed hoc non est cur dica-  
tur, quia, licet ipse solus illius fecerit mentionem;  
potuit tamen loqui, non vt auctor sacramenti, sed  
vt prædicator, & doctor. Nec oportet vt dixerit, se  
tradere, vel docere, quæ à Christo acceperat, præ-  
sertim cum ex ipsa materia id satis constaret: nec  
enim posset verè promittere remissionem peccato-  
rum sub tali cæremonia, nisi de hoc haberet Christi  
verbum & promissionem: quod si hanc habebat,  
etiam credendum est cæremonias habuisse. Et de-  
inde, si potestas designandi, vel instituendi talem  
cæremoniam alicui committenda esset, certe potius  
data esset Petro, vt capiti, vel certe toti Collegio A-  
postolico. Cur enim Iacobus instituisset, & præce-  
pisset, quæ Petrus esset seruaturus; non fuisset qui-  
dem id consentaneum potestati supremæ, quam  
Christus Petro tribuerat. Quod si dicatur, non solū  
Iacobum, sed simul cum Petro, vel aliis Apostolis  
hoc sacramentum instituisse: quæro, vnde hoc habet-  
atur? & cur non potius Christo institutio tribuatur?  
eum ex illo loco Iacobi non possit vnum magis, quàm  
aliud colligi.

**3** Difficultas vero superest: quando fuerit hoc sa-  
cramentum à Christo institutum hoc enia est quod  
Bonauenturam maxime mouit loco supra citato:  
quia cum Euangelistæ nullam mentionem huius in-  
stitutionis faciant, verisimile est Christum Dominū  
illam non fecisse. Cur enim Euangelistæ omisissent  
rem adeo grauem, & ad Ecclesiæ fundamentū ma-  
xime pertinentem? Addit etiam coniecturam, quia  
eum hoc sacramentum proxime nos præparet ad  
introitum gloriæ, non fuit conueniens ante consum-  
matam Christi glorificationem, & ascensionem in-  
stitui. Alij verisimile putant Christum hoc sacramen-  
tum instituisse quando misit Apostolos ad prædi-  
candum: nam, vt supra dicebam, tunc instruxit illos,  
vt per olei vñctionem miraculose, & supernaturali-  
ter infirmos curarent: non enim aut fuissent Apo-  
stoli illo medio vt ad sanitatem conferendam, nisi  
à Christo edocti fuissent, & in virtute ac fide verbi  
illius id facerent. Nec enim putandum est Apostolos

curasse & sanasse infirmos virtute naturali olei, aut  
id solum intendisse: quid namq̄ opus illud ad do-  
ctrinam confirmandam contulisset? aut quomodo  
posset medium illud omnibus ægris indifferenter  
prodesse, & non multis nocere? Ergo sicut tunc in-  
stituit Christus illam vñctionem ad sanandam corpo-  
ra ita credendum est instituisse in ratione sacramen-  
ti, cum non habeamus in Euangelio indicium aliud  
huius institutionis.

Dicendum vero est, de tempore huius institutio-  
nis nihil certo nobis constare. Et verisimilius esse  
non fuisse institutum saltem ante noctem Cænz: cur  
enim ante Eucharistiam, & penitentiam institueret-  
ur? Item iam diximus vñctionem illam Apostolo-  
rum Marc. 6. non fuisse hoc sacramentum. Vnde, li-  
cet admittamus tunc Christum præcepisse Aposto-  
lis, vt corpora infirmorum vngerent ad sanitatem  
præstandam, non tamè inde inferatur instituisse sa-  
cramentum hoc, quia nec illos tunc docuit de san-  
ctificatione, seu benedictione olei præmittenda per  
Episcopū: nec de forma verborum vllum est velti-  
gium, nec de spiritali effectu vel eius promissione.  
Ac denique Christus tunc non tradidit potestatem  
perpetuam duraturam in ministris Ecclesiæ; sed con-  
tulit tunc Apostolis gratiam sanitatum, quæ non est  
communis omnibus, nec certa lege aut modo alicui  
datur, sed prout Spiritus sanctus vult, & prout ex-  
pediat ad confirmationem fidei, vt dicitur 1. Corinth.  
12. Quamuis autem hæc gratia sanitatum non soleat  
limitari ad vñctionem olei, vel aliam similem: for-  
tasse Christus, vt adumbraret hoc sacramentum, &  
ad homines disponderet, illum modum curandi æ-  
gros præscripsit: vt sicut baptismus Ioannis præam-  
bulum fuit ad Christi baptismum; ita illa vñctio A-  
postolica præambula esset ad hanc sacramentalem  
vñctionem. Quod significauit Tridentinum dicens,  
hoc sacramentum fuisse in finna uam, nō institutum.  
Ex illo tamen Apostolico exemplo fortasse ortum  
est, vt olim Christiani sepe vterentur vñctione olei,  
Deo miraculose cooperante, non per modum ope-  
ris sacramenti, sed per modum effectus gratiæ gratis  
datæ, vt ex Tertulliano sumimus in libr. ad Scapu-  
lam capit. 4. vbi refert, Proclum Christianum oleo  
curasse Antoninum Imperatorem, qui Christianus  
non erat, nec capax sacramenti, vbi Pamelius simi-  
lia notat ex Hieronymo in vita Hilarionis, Rufino  
libr. 1. Hystor. capit. 4. de Discipulis S. Antonij, & al-  
liis.

Non fuit igitur hoc sacramentum ibi institutum,  
neque alicui tempore ante cenam, non solum  
quia nullum est in Euangelistis vestigium (hec enim  
ratio per se non sufficeret, quia non est necesse vt E-  
uangelistæ omnia narauerint) sed etiam quia nulla  
est necessitas, vel aliqua alia cõiectura talis institu-  
tionis, cum in vsu hoc sit postremum omnium sa-  
cramentorum. De nocte autem Cænz verisimile  
est, in ea docuisse Christum Apostolos, inter alia my-  
steria, ritum obseruandum in hoc sacramento. Quia  
vero in illa nocte non fecit Apostolos sacerdotes  
quoad potestatem in corpus Christi mysticum, sed  
hanc dedit post resurrectionem Ioan. 20. idèo pro-  
babilius existimo, etiam non dedisse illis potestatem  
ministrandi hoc sacramentum in ea nocte, sed Ioan.  
20. quia, sicut hoc sacramentum est quasi annexum  
sacramento penitentiae, ita potestas illud ministran-  
di, supponit, & quodammodo includit potestatem  
remittendi peccata, vt Chrysost. etiam citato loco  
indicauit: idèoque plena huius sacramenti institu-  
tio consummata non fuit à Christo Domino ante  
resurrectionem suam. Sine vilo vero dubio creden-  
dum est, fuisse consummatum ante ascensionem, quia  
plene ac perfecte fundauit Ecclesiam priusquam ex  
hoc mudo discederet, idèoque omnia etiam sacra-  
menta prius perfectè instituit, vt in tomo superiori  
disp. 32. sect. 2. latius dixi: ex quo loco cõfirmari pos-  
sumus

sunt omnia, quæ in presenti diximus. Nec posterior coniectura Bonaventuræ contra hoc vrgit (prior enim iam reiecta est) tum quia satis fuit consummata gloria Christi post resurrectionem etiam ante ascensionem: tum etiam, quia oportuit ut priusquam Christus ad gloriam condescenderet, & nos institueret, & media institueret, per quos nos ad ascendendum illum illo disponeremur.

DISPUTATIO XL.

De Essentia sacramenti Extreme vnctionis.

**H**X dictis in superiori disputatione sumere possumus, huic sacramento essentialia esse illa omnia, quæ communia sunt sacramentis nouæ legis: atque illud præcipue consistere hoc sacramentum materia, & forma sensibili, ex quibus constituitur unum integrum signum gratiæ. In hac ergo disputatione explicabimus materiam, & formam huius sacramenti, in sequenti vero declarando effectum eius, consequenter exponemus quam gratiam significet, & ita erit explicata tota essentia huius sacramenti, tam quoad rem, seu ceremoniam impositam ad significandum, quam quoad relationem, seu significationem ipsam, quæ sine re significata plene intelligi non potest.

SECTIO I.

*Vtrum materia remota huius sacramenti sit oleum oliuarum ab Episcopo consecratum, seu benedictum.*

**P**incipio certum est apud Catholicos, materiam remotam huius sacramenti esse oleum, nam expresso nomine illam designat Iacobus dicens, *Vngentes eum oleo*. Hinc secundo etiam est de fide, oleum hoc debere esse oliuarum, vt declarauit Concilium Florentinum in Decreto Eugenij, dicens materiam esse, *oleum oliuæ*, quod etiam ex vi verborum Iacobi desumptum est. Nam oleum simpliciter dictum, liquor em illum significat, qui ex oliuarum bacis exprimitur, quam significationem habet non solum ex Latinorum vsu, sed etiam in Scriptura sacra, & in communi modo loquendi. quapropter, sicut aqua baptismi intelligitur esse aqua naturalis, & materia Eucharistiæ panis triticus, ex vi & proprietate verborum, *Aqua & panis*, simpliciter sumptorum: ita in presenti ex vi vocis *oleum*, intelligimus hoc debere esse oleum oliuæ: & hanc fuisse Christi institutionem, quæ est prima radix huius necessitatis. Ita vt nulla sit in Ecclesia potestas dispensandi, vt ex alia materia fiat hoc sacramentum, propter necessitatem vltimam, quia illa, quæ ex Christi institutione sunt essentialia, immutabilia sunt. Congruentia verò huius institutionis præcipue sumitur ex ordine ad significandos effectus huius sacramenti. Nam oleum ad leniendos corporis dolores proficere solet, sanitatem interdum restituit: hilaritatem affert, & luminis veluti pabulum esse solet. Hinc etiã oleum pinguedinem gratiæ & spiritus significare solet, vt notauit Gregor. lib. 4. in 1. Reg. 4. Et oliua ipsa solet esse pacis signaculum, vt attigit Tertull. li. de Corona militis. & notari solet ab interpretibus circa illud Genes. 8. *Venit ad eum ad vesperam, portans ramos oliuæ virentibus folijs*. Ob has ergo, & similes causas oleum aptissimum fuit ad declarandum quid virtute huius sacramenti Deus operetur, tam in animo, quam in corpore ægroti illud suscipientis: fuit ergo ex hoc capite materia hæc aptissima. Aliunde vero est satis communis materia, quæ facile vbique repe-

ritur, & ideo etiam tanquam necessaria & essentialis posita est, vt res esset stabilis & firma, nec propter raros euentus oportuit dispensationem admittere.

Tertio est etiam constans apud fideles, oleum hoc debere esse ab Episcopo benedictum. Et quidem hoc fit saltem de necessitate præcepti, indubitatum est, propter ea quæ statim subiiciam. An vero sit etiam de necessitate sacramenti, à nonnullis dubitatum est: sunt enim aliqui Catholici, qui affirmant simplex oleum sufficere ex Christi institutione, aliumque ritum benedicendi oleum esse accidentarium ex Ecclesiæ institutione, ideo quod, si prætermittatur, etiã si peccaminose, validum nihilominus confici sacramentum: aliquando vero ex

*Oleum debet benedici ab Episcopo benedictum. opinio quæ fundam.*

causa iusta, scilicet, necessitate vrgente sine culpa posse ita confici. Quam opinionem tenuisse videtur Victoriam, vt patet ex eius Summa de sacramentis. num. 216. Fundamentum sumi potest ex Iacob. 5. vbi solum dicit, *vngentes eum oleo*: non enim dixit, *benedicto*, sed simpliciter, *oleo*: ergo tantum oleum simplex & naturale est essentialis materia. Similiter enim argumento colligimus, essentialis materiam baptismi esse simplicem aquam naturalem, non sanctificatam aut benedictam, quia Scriptura simpliciter aquam requirit, iuxta illud Act. 8. *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* & c. ergo similiter, & c. Nec refert quod Iacobus subiiciat, *Vngentes eum oleo in nomine Domini*, non enim dixit oleo benedicto, aut sanctificato in nomine Domini; sed vngentes oleo in nomine Domini, id est, vnctionem ipsam debere fieri in nomine Domini: quod dici potuit, vel propter formam, quæ adhiberi solet supra talem vnctionem, vel propter fidem & intentionem, cum qua debet fieri talis vnctio, tanquam res à Christo instituta, in cuius virtute operatur est. Confirmari hoc potest primo, quia licet aliqua Concilia, vel decreta antiqua dicant, oleum debere esse consecratum, tamen non dicit expresse consecrationem illam esse de necessitate sacramenti, sed explicant consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, quæ ex præcepto seruanda est. Confirmatur secundo, quia quæ sunt de substantia sacramenti, sunt à Christo Domino definita in particulari: sed nunquam Christus præscripsit aliquam olei benedictionem, nec à quo, vel quomodo facienda esset: ergo non est substantialis materia huius sacramenti.

*Viã.*

*Iacob 5.*

*Act. 8.*

Contraria sententia est communis Theologorum in 4. d. 23. vbi D. Thom. quæst. 1. ar. 2. q. 2. coniungendo 3. argumentum cum corpore articuli, & responsione: nam in corpore solum ait, oleum sanctificatum esse materiam; in primo vero argumento eum solutione constituit discrimen inter hoc sacramentum, & baptismum, quod in baptismo non est de necessitate sacramenti sanctificatio materiae, sicut in hoc: & rationem differentie sumit ex his, quæ in corpore articuli dixerat, scilicet; quia Christus suo vsu & tactu sanctificauit aquam, quæ est materia baptismi, & ideo non indiget alia præsanctificatione; Christus vero non ita sanctificauit suo tactu materiam huius sacramenti, & ideo de necessitate eius est vt benedicatur. Eandem doctrinam habet Bona. artic. 1. quæst. 3. Paludan. quæst. 1. art. 1. Durand. q. 2. Qui omnes dist. 7. idem dixerant de materia Confirmationis, de qua quoad hoc, eadem est ratio. In quo etiam Victoria non loquitur consequenter, nã de materia confirmationis recte senserat num. 42. eandem sententiam tenet Durandus libro primo, de Ritib. Eccl. capit. 20. numer. 20. vbi eam bene declarat. Denique Soto dist. 33. quæstion. 2. artic. 3. dicit, indubie hoc tenendum esse, nullam vero aliam probationem affert, nisi quia Ecclesia Romana ita sensit de hoc sacramento, quod non reputaret esse sacramentum, si ex oleo non benedicto fieret: Sed hoc est quod inquirimus, vnde constat ita sentire Ecclesiam.

*Contraria sententia probatur. D. Thom.*

*Bona. artic. 1. quæst. 3. Palud. quæst. 1. art. 1. Durand. q. 2.*

*Soto.*

Primo

*Oleum oliuæ materiam remotam huius sacramenti.*

*Tertull.*

*Genes.*